

'Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucris, 500
 quis tam crudelis optavit sumere poenas?
 cui tantum de te licuit? mihi fama suprema
 nocte tulit fessum vasta te caede Pelasgum
 procubuisse super confusae stragis acervom.
 tunc egomet tumulum Rhoeteo litore inanem 505
 constitui et magna manis ter voce vocavi.
 nomen et arma locum servant: te amice, nequivi
 conspicere et patria decedens ponere terra.'
 ad quae Priamides: 'nihil o tibi amice relictum;
 omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris. 510
 sed me fata mea et scelus exitiale Lacaenae
 his mersere malis; illa haec monumenta reliquit.
 namque ut supremam falsa inter gaudia noctem
 egerimus, nosti, et nimium meminisse necesse est.
 cum fatalis equos saltu super ardua venit 515
 Pergama et armatum peditem gravis attulit alvo,
 illa chorum simulans euhantis orgia circum
 ducebat Phrygias; flammam media ipsa tenebat
 ingentem et summa Danaos ex arce vocabat.
 tum me confectum curis somnoque gravatum 520
 infelix habuit thalamus pressitque iacentem
 dulcis et alta quies placidaeque simillima morti.
 egregia interea coniunx arma omnia tectis
 emovet, et fidum capiti subduxerat ensem:
 intra tecta vocat Menelaum et limina pandit, 525
 scilicet id magnum sperans fore munus amanti
 et famam extingui veterum sic posse malorum.
 quid moror? — inrumpunt thalamo, comes additur una
 hortator scelerum Aeolides. di, talia Graiis
 instaurate, pio si poenas ore reposco. 530
 sed te qui vivom casus, age fare vicissim,
 attulerint. pelagine venis erroribus actus
 an monitu divom? an quae te Fortuna fatigat,
 ut tristis sine sole domos, loca turbida, adires?'
 hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis 535
 iam medium aetherio cursu traiecerat axem.